

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 54. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585142320.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

Porro Waldemarus duxit uxorem filiam regis Danorum Sophiam nomine, cuius pater Ericus, Waldemari regis (qui Danis legem scripsit ac in ordinem redegit) filius, a fratre suo Abel est dolose interfectus, que res causam dedit Waldemaro perpetrandi stupri, ob quod regno ac diademate est spoliatus. Habebat enim Sophia regina sororem nomine Iudit, que interfecto patre sororis desiderio ardens, postquam in Suetiam uenisset, ab ipso rege sororis marito compressa est, maxima regni Suetie turbatione. Waldemaro igitur fugato ac tandem sine legitimis liberis defuncto, successit frater eius Magnus cognomento Ladelaas, qui ducta filia comitis Holsatie in uxorem, genuit tres filios, Birgerum regem, Valdemarum et Ericum duces. Porro Birgerus interfectis fratribus suis, atque amisso filio suo Magno, qui ob paternum scelus capite truncatus est, fugiens in Daniam, exul mortuus est, ac Ringstadij sepultus. Hic periisset regium semen, nisi dominus in Erico duce interfecto sibi posteritatem reseruasset. Quandoquidem iste Ericus tercius filius Magni Ladelaas regis, olim ex Auinione reuersus (quo fuerat peregre profectus amore ac desiderio summi pontificis ibidem tunc sedem habentis) duxit uxorem filiam regis Haquini senioris, Noruagie regis, ex qua binam prolem sustulit, Magnum Smeg regem Sueti ac Norvegi patrem Haqui-|ni iunioris, mariti Margarethe regine trium regnorum, et Euphemiam filiam. Hic iterum periisset regie stirpis propago (quia vnicus Haquini et Margarete filius Olauus nomine sine liberis ante diem obiit) nisi dominus in hac filia nobis semen prouidisset. Siquidem hec Euphemia facta est mater multorum magnorumque principum. Nupsit autem duci Magnopolensi: cui peperit Albertum postea Suetie regem, et Henricum ducem, qui 56 duxit uxorem, filiam Waldemari regis sororem Margarethe regine, ex qua genuit duas filias. Prima nupsit duci Pomerani, cui peperit Ericum, regem trium regnorum. Secunda uero nupsit duci Bauarie, cui peperit Christophorum, etiam trium regnorum regem.